



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1563 usque ad annum 1566

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118626**

§. 96. Tumultus in Belgio continuati.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67192](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67192)

Sæcul XVI.  
A.C. 1566.

ubi tandem in fugitivos, ac contumaces tanquam læsæ Majestatis reos fertur sententia, qua ipsi ad patibulum damnantur, & bona ærario publico addicuntur, detractis in templorum, quæ everterunt, instaurationem quadraginta librarum millibus.

## §. XCVI.

*Tumultus in Belgio continuati.*

*Strada l. 5. Belcar. comm. l. 30. Et 43. Grot. Annal. Belg. l. 1. p. 20.* Cum in Belgio omnes etiam pœnarum severitate compellerentur, ut cuncta decreta, & decisiones a Synodo Tridentina etiam circa disciplinam factæ in usum deducerentur, inde hoc anno tumultus augeri cæperant, adeo ut etiam hæretici contra Gubernatricem seditionem conflarent, cui quoque Nobiles nomen dabant: præprimis vero contra hanc Principem libellos mordaci calamo scriptos, ac non minus Deo, quam Principibus a Deo institutis injuriosos spargunt: ubi tamen hæc conspiratio fuerat detecta, Gubernatrix suas copias ad ultionem paratas tenebat, & quidem primo lustratis arcibus, suisque propugnaculis Magistratum ad officii sui partes fideliter explendas hortabatur, simulque de conjuratione, quam pertimescebat, suos Oratores, quos apud Cæsarem, Galliarum Regem, & Angliæ Reginam habebat, certiores reddidit:

didit: verum ipsimet hujus seditionis Sæcul. XVI.  
 Auctores vehementius de prospero per- A.C. 1566.  
 versi sui consilii successu dubitare cæ-  
 perant, unde conjuratio ferme tota e-  
 vanuit, ac nonnisi circiter quingenti  
 supererant, qui ductore Brederodo, &  
 Ludovico Nassavio contra Inquisitionem,  
 & Cæsaris mandata huic tribunali pro-  
 pitia libellum supplicem per semetipsos  
 Gubernatrici porrigere decreverunt:  
 die igitur exequendo huic proposito præ-  
 fixa conjurati bini, ac bini recto ordine  
 totam urbem pervagantur, tandemque  
 ad Gubernatricis Palatium contendunt,  
 comitantibus eos Bederodio, Nassavio  
 & Culemburgo Comitibus. Hi omnes  
 vestibus e panno cinericei coloris in-  
 duti erant, ac alii ligneas lagunculas,  
 scutellasque, & caliculos, quæ omnia  
 pauperum suppellex esse solet, pileis  
 suis affigunt: insuper plerique nummum  
 primo e cera, vel e ligno exsculptum,  
 postea autem cusum ex auro, argen-  
 tove instar bullæ suspendunt e collo, in  
 cujus altera parte Philippi Regis cæ-  
 lata erat effigies, hisce verbis gal-  
 lica circumscriptis, *fideles Regi*: in altera  
 visibatur mantica duarum complexu  
 manuum intercepta, circumque hæc  
 verba legebantur, *usque ad Manticam*.